DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE VIRI VACCINII INSITIONE
UT MEDIO PROPHYLACTICO CONTRA VARIOLAS,

QUAM, ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI LUDOVICI KESTELOOT,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FACULT. MED. PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTIS MEDICÆ DECRÉTO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDECINA HONORIBUS AD PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI.

RITE AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS

PUBLICÈ ET CORAM TOTO SENATU ACADEMICO DEFENDET

CAROLUS VAN WAES,

EX WYNKEL,

DIE 3 JUNII 1826 HORA II IN ÆDIBUS ACADEMICIS.

GANDÆ,

TYPIS HIPP. VANDEKERCKHOVE FILII, IN VIA KORTE-RIDDERS, N.° 10.

1826.

Ex præscripto art. 56 leg. Acad. opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ et a facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

Piis manibus optimi

Patris,

Matri dilectissimo,

Fratri carissimo,

nec non

Academiæ Regiæ Gandavensis professoribus eruditissimis,

Condiscipulis atque amicis omnibus.

Hasce Studiorum primitias dedicat auctor,

C. Van Waes.

L'homme ne paraît jamais si grand que lorsqu'il sait par ses inventions améliorer son sort.

GOLDSMITH.

DE VIRI VACCINII INSITIONE

UT MEDIO PROPHYLACTICO CONTRA VARIOLAS.

Vaccina, sic dicta a latino verbo *vacca,* quæ apud anglos *Cowpox* audit, morbus est a vaccâ ad speciem humanam transmissus, per naturalem vel artificialem inoculationem materiæ, in pustulis certis sub circumstantiis ad ubera vaccarum obortis, natæ, cujusque effectus singulares salutaresque hominem variolas nondum passum, modo tamen certo, at minus periculoso quam ipsæ variolæ a diro hocce morbo præservant.

Morbus hic vaccarum eruptivus, qui in Persiâ, Indiâ, Hungariâ aliisque regionibus in primis quidem in Angliâ in Comitatu sic dicto Glocester, tempore autumnali, vernali, præsertim autem circà mensem maii, epidemicè grassatur, pustulis lividis, nigris, circulo inflammatorio cinctis, ubera vaccarum obsidentibus insignis, quarum virus in superficiem corporis humani translatum, in ipso excitare similes pustulas cum exili ægritudine, sed cum singulari illo effectu, quod hoc malum perpessi postea nunquam variolis afficiantur, per experientiam rusticis illarum regionum jamdiu notum erat. Nullus tamen animum ad momentosum hoc objectum verterat, donec tandem illust. Jennerus vel ingenio cæteris præstans vel divinâ quasi instigatione virtutem admirabilem hujus viri circa annum 1790 perspexit, zeloque infatigabili, ut experimentis variis fide dignis vaccinam veram esse variolarum prophylaxim concivibus suis probaret, allaboravit; donec tandem publicis scriptis anno 1798 cum toto orbe litterato inventionem suam communicavit.

Proprietates physicas viri vaccinii tempore periodi inflammatoriæ in vesi-

culâ contenti inquirentibus offertur humor fluidus, limpidus, colorem aquæ communis referens, viscidus, odoris expers, saporis acris et sulfurici, lacrimis vel serosæ materiæ ex ampullis vesicantibus productis exeunti similibus, aëris contactu manente pelluciditate exsiccatur, vitri adinstar indurescit, interdum ut albumen ovorum exsiccatum in squamas abit. Immediate post ejusdem exitum ex vesiculâ vaccinali sæpè concrescit, minutos globulos duros pellucidos formans aquâ solubiles, qui, uti auctores multi testati sunt, debitis cautelis adhibitis, admodum diu conservari sine virtutis specificœ amissione possunt : ita D. Regal (1) bonum obitnuisse successum cum crusta jam per 14 1/2 menses desiduâ refertur; alii cum illis 18 mensium, imo D. Labouisse in quartâ legione Thoracatorum medicus primarius (2) cum materiâ crustæ per octo annos conservatæ, vaccinam veram atque regularem obtinuisse, dicitur.

Licet chemicis virtutem specificam vaccinæ detegere hucdum datum non fuerit, experimenta tamen Doct. Dupuytren et Husson (3) nos desuper sequentia docuerunt : quod, scilicet, vaccinum recens naturâ sit alkalinum et volatile, calore majori decomponatur et volatile reddatur, si temperiëi ordinariæ actionique aëris atmospherici exponatur virtutem omnem perdat atque oxydetur, tandem quod ex aquâ et albumine, quorum proportio hùcusque non nota est, componatur.

Materies vaccinia multiplici modo in futurum usum asservatur et ad remotissimas regiones transmittitur : puta animalibus, vel modo directo filamentis laneis vel gossipinis, lanceolis ex variâ materiâ confectis, crustis vaccinalibus post absolutam inflammationis periodum spontè desiduis vel die 18 vel 20 arte aufe-

---

(1) Rapp. du Com. Centr. de Vacc. 1811. pag. 44. — (2) Même Rapp. pag. 40.
(3) Dict. des Sc. Méd. art. Vaccin.

rendis, denique laminis vitreis planis vel concavis, tubis et phialis ex eâdem materiâ conflatis, quæ ultimæ tamen methodi cæteris præferuntur; seduloque animadvertendum est, ut aër atmosphericus præsertim calidus et humidus, lumen, aër carbonicus et oxygenius illis arceantur. Cum verò vaccinatio hodiè vix ac ne vix quidem aliis fit modis quam de brachio subjecti vaccinam gerentis in brachium vaccinandi, quæ methodus sanè si occasio permittat omnium est optima, latiùs hos conservandi viri vaccinii modos describere, cautelas ad illud inoculandum adhibendas inquirere inutile duxi.

Vaccinatores primo præcipuè inventionis tempore variis modis nempè : incisionibus, vesicantibus, puncturis, variisque instrumentis virus illud inoculare tentarunt; sed quum, ut scopus operationis obtineatur, sufficiat materiem in contactum vasorum absorbentium poni, hæc methodus præstat, quâ minus dermis, vasa capillaria sanguifera atque absorbentia læduntur, irritatio minor minorque patienti dolor causatur; quapropter jam dudum punctura undique generaliter adhibetur, insuper adit celeb. Aubert (1) « parce qu'elle donne » une tumeur parfaitement régulière, et qu'on se ménage ainsi un diagnostic » aisé ».

Missis factis methodis instrumentisque variis, quibus vario tempore vaccinæ inoculatores usi fuêre, sufficiat methodum hodiè ab omnibus admissam breviter describere, quâ apice lanceolæ vulgaris vaccinum inseritur, ad cujus insertionem pars superior et externa brachii, ad insertionem circiter musculi deltoidei, licet aliæ corporis partes valeant, ob rationes facilè detegendas, præfertur, at qui operandi modus *punctura* dicta sequenti modo peragitur.

---

(1) Rapp. sur la Vacc. pag. 60.

Operator manu sinistrâ brachium subjecti vaccinandi arripit, cujus cutim digitis ejusdem manûs exactè tendit, dum manu dextrâ apicem lanceolæ virus vaccinium gerentem, horizontaliter levique manu inter epidermidem et cutim insinuat, quo peracto, pollice levæ manûs, ut absorptio melius peragatur, vulnusculo imposito, momento postea instrumentum leniter movendo eadem directione retrahit.

Quamvis una punctura, si succedat, hominem a variolis præservare potest, auctores tamen, ut ita major adsit pro bono successu certitudo, nisi infans admodum esset debilis duas, tres, quatuorve in uno vel melius uti commissio med. Vac. Gand. (1) recenter monuit in utroque brachio, puncturas instituere consuluerunt; Expert. enim prof. Van Rotterdam, se individuum veram vaccinam in uno brachio perpessum, in parte oposita variolis veris, quæ lineam medianam corporis non transgrediebantur, laborantem observasse narravit (2): tamen si plures puncturæ infligantur, animadvertendum est ut ad minimum pollicem a se invicem distent, ne inflammatio necessariè oboriens, instar variolarum confluentium, ulcus mali moris post se trahat.

Quod attinet tempus quo virus vaccinium ex vesiculâ sumi debet, omnes auctores semper in hoc determinando solliciti fuêrunt: quamvis quoad qualitates physicas hujus fluidi sat conveniant, discordia tamen satis notabilis circa epocham morbi qua sumi præstat, inter eorum opiniones regnat. Licet illust. Jennerus (3) liquorem vaccinalem ad 17 morbi diem virtute suâ specificâ gaudêre posse dixerit, quum sæpius post 10 diem degeneratur ante hoc tempus

---

(1) Berigt van het Com. van Vacc. te Gend, zitting van den 10 sept. 1825.

(2) In prælectionibus Clinicis.

(3) Nouvelles observations sur la Vacc.

illum colligere suadet; ait enim : « L'expérience m'a prouvé, que dès le cin-» quième jour on peut s'en servir avec succès et j'ai lieu de croire que son » activité commence à diminuer aussitôt que l'efflorescence se manifeste ». Woodville (1) sexto post inoculationem die sumptam materiem præfert; Collon (2) illam decimi aptissimam esse credidit; dum Aubert (3) illam sumit ex pustulis majoribus turgidioribusque a duodecimo ad decimum tertium diem. Odier (4) vero illud tempus, quo halo vulnusculum circumdans rite est formatus, aptissimum esse putat; Prof. Kluyskens (5) magnâ desuper experientiâ edoctus, virus vaccinium ante halonis formationem sumptum optimum esse affirmat, cum Dom. Moreau (6) tamen in illo convenit, statum, aspectum humoris melius certiusque de hujus qualitate normali, quam regulas, quæ circa tempus inoculationis sumuntur, nos certiores facere; itaque fluidum sit clarum, limpidum atque viscosum, si vesicula apperiatur sub formâ guttularum pellucidarum splendentium effluat, oportet; exempla enim leguntur ubi materies decimo die sumpta nulla amplius virtute gauderet, dum in aliis circumstantiis illa vigesimi diei veram vaccinam produceret, quam certè irregularitatem ab irregularitate hujus morbi decursûs, quæ causas diversas agnoscit, dependêre unicuique patet.

Auctores quidam, præsertim autem vulgus, semper scrupulosè de statu sano vel

---

(1) Rapp. sur le Cowpox et sur l'Inoc. de cette maladie, trad. par Aubert, 1800.
(2) Essai sur l'Inoc. de la Vacc., 1 vol. in-8.°, Paris, 1801.
(3) Rapp. sur la Vacc. ou Traité sur cette maladie, in-8.°, Paris, 1801.
(4) Mémoire sur l'Inoc. de la Vacc., inseré dans la Bibl. brit. V. 15.
(5) Procès-verbaux des 9 vend. 25 germ. et 23 prair. an 10, rapportés dans le rapp. du Com. Centr. de Vacc. de Paris, pag. 342.
(6) Traité hist. et prat. de la Vacc., pag. 168.

ægroto individui, ex quo vaccinam propagare vellent, inquisiverunt, credentes germen morbi quo essent affecti simul cum viro vaccinio inoculari. Opinio sanè hæc prajudicata, quæ hodie adhuc apud quosdam viget, longâ experientiâ experimentisque de industriâ factis contradicitur, teste Schwilgué (1): « La vaccine, inquit, en passant d'un sujet à l'autre, se reproduit sans éprouver » d'altération : l'affection simultanée de la gale etc.... n'y apportent aucune » modification ». Insuper, ut testimonia hujus assertionis aliorum auctorum transire liceat, placitum Comm. med. Centralis Vaccinæ Parisiensis (2) factis plurimis nixum adferam, ipsius verbis, ne rem parum aptè representem, utar. « Une foule de circonstances ont prouvé que le virus vaccin ne s'allie avec » aucun autre. Dans le grand nombre d'essais faits sur des sujets dartreux, » galeux, teigneux, scrophuleux, on a toujours pu prendre intact, et sans » aucun mélange le fluide du bouton vaccin, lequel n'a jamais produit, sur » les sujets auxquels on l'inoculait, que la vaccine seule et sans aucune com- » plication. Ces essais ont été répétés avec le fluide de pustules vaccinales, » devéloppées à dessein, sur des parties dartreuses, sur des croûtes teigneuses » sur des endroits de la peau couverts de boutons de la gale. Des faits très- » nombreux attestent ce résultat, qui a été aussi observé par nos correspondans ».

Visâ debilitate neonatorum, vaccinatores nonnulli his optimum reverà naturæ donum omni vitæ epochâ œquè benignum, primis nativitatis hebdomadibus communicare timuerunt; tamen quum non parum interest, in primis, regnante variolarum epidemiâ, infantem contra crudelissimum suæ existentiæ hostem præmunire, qui vel organi ad vitam relativam necessarii privatione,

---

(1) Rapp. sur l'Inoc. de la Vacc.

(2) Rapp. du Com. Centr. de Vacc. à Paris, an XI, pag. 401.

imo vel ipsâ morte omni momento minatur, viri in arte peritissimi vaccinam primis post nativitatem horis, innocuitate ejus persuasi, iis inserere non dubitarunt : semper laudandus Jennerus (1) sese infantem 20 horas natum vaccinasse, narrat, cui, post hujus morbi regularem decursum, pus variolosum sine ullo effectu inoculavit. D. Husson (2) propriis suis infantibus, alteri secundâ, alteri quartâ nativitatis horâ, magno cum successu materiem vaccinalem inseruit. Hìc tamen cum aliis auctoribus, primis nativitatis diebus operationem quandoque effectu optato frustrari, notari volumus, itaque uti constat ex computo a prædicto auctore inito, ut ex tribus infantibus primis ætatis diebus vaccinatis unus tantum verâ vaccinâ afficiatur, qui numerus in ratione eorum ætatis crescit, ut sextâ ætatis hebdomadâ in uno suprà 100 solomodum vaccina effectum suum specificum non producat; quod procul dubio cuti laxæ atque pulposæ nec non systematis absorbentis debilitati attribuendum est. Contrarium planè in provectâ ætate observatur, in quâ siccitas, rigiditas, vigor vasorum absorbentium imminutus, obstaculum ad vaccinam contrahendam, facile tamen superandum, nonnunquam ponit. In quibus circumstantiis D.r Woodville atque Odier incisione magno cum successu usi fuêre; D.r Moreau (3) vesicantia suadit, si frictionibus, lotionibus aut balneis obstaculum tolli nequit. Nulla igitur vitæ epocha operationem hanc recusat vel periculosiorem reddit; in relationibus enim Comm. Med. Vacc. Centr. dicitur (4). « L'inoculation de la vaccine est » également praticable et exempte d'accidens, quelque soit l'âge des sujets, » que l'on y soumet. Des enfans ont été inoculés au sein même de leur nour- » rice, d'autres à l'âge d'un, deux, trois et jusqu'à quinze ans. Des personnes

---

(1) Ouvrage Cit. — (2) Dict. des Sc. med. art. Vaccin. — (3) Ouvrage cit. pag. 179. — (4) Rapp. cité, an XI.

» de quarante, cinquante et même de soixante-dix ans l'ont été également et » toujours avec le même avantage ». Attamen uti patet ex relationibus ejusdem Comm. (1) atque scriptis aliorum auctorum, individui quidam vero paucissimi inveniuntur, qui ex dispositione quâdam quasi hæreditariâ vaccinam nunquam contrahunt, quod quoque de variolis observatur, quale exemplum in totâ familiâ vidisse illust. Prof. Van Coetsem narravit (2).

Omnia anni tempora ad vaccinandum æquè valent ea tamen cum modificatione, ut quò calidior sit atmosphæra eo citiùs morbus periodos suas decurrat. Tandem neque graviditas, neque catameniæ fluentes, neque dentitio infantum difficilis, neque morbilli, nullusque status morbidus operationem hanc contraindicant, inquit enim D. Fournier (3) « Je suis assuré qu'elle (la vaccine) ne » contribue pas à augmenter les maux qui la précèdent; ayant inoculé des enfans » fébricitans, d'autres atteints d'affections catarrhales, un qui avait la coqueluche, » et enfin beaucoup dont le travail de la dentition était en pleine activité, sans » que pour cela ils aient éprouvé d'augmentations dans leurs indispositions ».

VACCINÆ DESCRIPTIO.

Auctores omnes hanc eruptionem in tres periodos semper diviserunt, quarum primam *inertiæ*, secundam *inflammationis*, tertiam denique *desiccationis* nomine insigniverunt, quæ periodi ordinariè sequenti modo decursum suum absolvunt.

1.ª *Periodus.* Statim ac punctura peracta sit, ferè constanter circa vulnus-

---

(1) Même rapp. pag. 346 et suiv. — (2) In prælect. de morbis infantum. — (3) Essai Hist. et Prat. sur l'Inoc. de la Vacc. Brux. 1802

culum circulus leviter rubescens diametri sex ad duodecim linearum post aliquot minuta prima evanescens oboritur. Primum illud phænomenon, quod denominationi primæ periodi contradictorium esse videtur, operationem successisse pro indicio sat certo haberi potest; infectionem enim primitivam atque absorptionem fluidi vaccinii per orificia vasorum aperta monstrat. Circulo evanido, imo eodem quandoque tempore punctura ipsa sub formâ dimidiæ lenticulæ leviter rubescentis elevatur. Levis hæc elevatio, quæ diutius tamen prædicto circulo perstat, pauco tempore elapso quoque disparet. Ab hocce tempore ad tertium vel quartum usque diem mutatio nulla in parte læsâ observatur, nec cicatricula differt ab illâ, quæ vulnusculum instrumento simili, viro vaccinio non inquinato, inflictum subsequeretur.

2.ª *Periodus.* Ad finem tertii diei vel quarto incipiente, periodus sic dicta inflammatoria inchoat; nunc durities quædam in textura cutis margines cicatriculæ efformantis digito tangentis facilè detegitur, ibique color lætè rubescens atque elevatio oculis nudis observari potest; 5.º die, cicatricula supra cutim quasi magis extensa colore ruberiore circumdatur; elevatio præcedente die jam sensibilis formam circularem accipit, in medio paululum depressa, umbilicata, atque æger de pruritu quodam conqueritur; 6.º die, elevatio circularis sensim increscit, quæ circulo rubro dimidiæ lineæ diametri circumscribitur; 7.º die, tota pustula volumine augetur. Elevatio circularis faciem argenteam referens planatur, color rubicundus in depressione centrali parumper intensior evasit; 8.º die, vesicula magis extenditur; materies jam in majore quantitate secreta margines ejus sublevat, qui tensi et inflati fiunt colorem albo-griseum offerentes, circulus ruber pustulam cingens hucdum angustus, parumper albescit, dum sese radiatim in textum cellularem extendere videtur; 9.º die, symptomata omnia intenduntur, pustula undique volumine increscit, circulus ruber colore magis uniformi roseo

notatus jam merito nomine *halonis* insignitur; 10.° die, pustula fere in eodem statu manet, vesicula tamen magis distenditur, halo, qui ex pustulis exillissimis valdè confertis constare videtur, quandoque ad diametrum uniûs vel duorum pollicum increscit; 11.° die, nulla notabilis variatio observatur. Ad finem hujus diei periodus inflammatoria ordinariè desinit; pustula quæ nunc ad maximum suæ evolutionis gradum pervenit, unâ vel duabus lineis supra cutim eminet, diametri est duarum vel quinque linearum, ad attactum duriuscula, atque materies secreta hucdum in cellulis, ex quibus vesicula efformata est, continetur.

3.ª *Periodus.* 12.° die, periodus desiccationis ordinariè incipit, depressio centralis jam in crustam abit; humor in vesiculâ contentus hucùsque limpidus, fit turbidus atque opacus, halo magis magisque palescit, tumor vaccinalis subsidet, et epidermis istius partis in squamulas abit; 13.° die, desiccatio pustulæ a centro ad circumferentiam progreditur, vesicula flavescit sese in ratione desiccationis progressûs contrahens: si aperiatur materies flava purulenta, quam jam in unam cellulam mutata continet, in integrum illicò evacuatur; 14.° die, crusta cornu adinstar indurescit colorisque fit fulvi, quæ per concretionem insensibilem materiæ in vesiculâ, quæ in dies contrahitur, contentæ formari videtur. A 14.° die ad 23 et ultra crusta solida, dura, æqualis, ad attactum levis, coloris fit badii colorem ligni Anacardii æmulans, formam umbilicalem suprà notatam ordinariè conservans, quæ 24.° vel 27.° die rarè tardiùs delabitur, cicatriculam rotundam, radiatam, cellulosam pisoque facilè tegendam post se relinquens.

Hæc est plenaria decursûs ordinarii vaccinæ descriptio. Abest tamen ut morbus hicsemper tam regulari modo periodos suas absolvat; observatio enim docuit evolutionem periodi inflammatoriæ nunc citiùs nunc multò tardiùs locum habere;

ait D.r Moreau (1) « la succession des symptômes n'a pas toujours lieu comme » on l'a décrite; ainsi dans quelques vaccinés, l'élévation de la piqûre a com- » mencé à se montrer dès la fin du deuxième jour. Dans d'autres cas, elle n'a » lieu qu'au 8, 10 et même au 22.e comme l'a observé le comité médical de » Riems ». Imo factum Comm. Med. Vac. Gand. anno 1824 a vaccinatore in re gnaro communicatum fuit, in quo pustula vaccinalis 127 die post vaccinationem tantum apparuit. Anomalias has auctores variis causis attribuerunt; atque adeò a temperamentis plus minusve activis, a constitutione forti vel debili aerisque temperie calidâ vel frigidâ citiorem vel tardiorem periodorum decursum dependêre notat Thornthon (2). Expert. Prof. Kluyskens (3) materiem parumper tardius collectam, tardius quoque evolvi sese observasse, scribit. D. Husson (4) tardiorem etiam evolutionem a materia siccâ conservatâ observavit. Irregularitates hæ non solum observatæ fuêrunt, in periodorum evolutione, verum quoque in singulæ harum citiore decursu, in formatione atque apparitione halonis, in formâ pustulæ et crustæ subsequentis; quæ ultimæ irregularitates uti observavit Dom. Hallé (5) epidemicè quasi quandoque grassantur, quod luculenter anno 1806 Lucæ observavit. « Ces différences, » inquit, n'ont point affecté la marche, les périodes, ni les caractères essen- » tiels de l'éruption vaccinale, mais se sont manifestées dans la forme du » bouton, dans la nature de la croûte qui succéda à la pustule ». Nonobstan-

---

(1) Ouvr. cit. pag. 197.
(2) Preuves de l'effec. de la vacc. trad. par Dufour, pag. 21.
(3) Verhandeling over de koeipokjes, etc., pag. 30.
(4) Journal de Med., ventôse an IX.
(5) Extrait du discours de M. Cuvier, à l'Inst. Impér.

tibus his irregularitatibus, hic aliique auctores talem vaccinationem optato effectu tamen non carère unanimiter affirmant.

Præter phænomena localia quæ veram vaccinam semper concomitantur, alia in œconomiâ animali non numquam observantur; itaque inter sextum circiter et decimum inoculationis diem, æger quandoque de dolore glandularum axillarium conqueritur, rarè nausea rariùsque vomitus observantur; satis tamen regulariter circa illud tempus levem accessum febrilem, interdum vix perceptibilem, vaccinatus patitur. An febris hæc essentialis est et quidem necessaria ut vaccinatio sit præservativa sicuti Pearson et alii voluerunt? D. Carro (1) assertionem hanc undique veram non esse affirmans, dicit, casus, qui in opere D. Woodville leguntur, in quibus febris observata non fuit, multò numerosiores esse, ut in illis quidem circumstantiis vaccina a variolis non præservaret. Woodville (2) insuper atque Moreau (3) febrem tanquam phænomenon accessoreum nulloque modo necessarium aspiciunt. D. Odier (4) vero opiniones horum auctorum parumper modificans, itá loquitur. « Cependant il m'a paru » très-rare qu'ils n'aient pas au moins pendant quelques heures un peu de » fièvre, c'est-à-dire une accélération de 30 ou de 40 pulsations dans la fré- » quence du pouls. Mais souvent on ne s'en douterait pas, cette fièvre n'étant » accompagnée, ni d'accablement, ni de mal aise, ni d'aucun symptôme d'in- » disposition, il semble même quelquefois, qu'elle ne fait qu'augmenter la » gaîté et l'activité de l'enfant. »

Infantem primis vaccinæ inoculationis diebus variolis adhuc posse affici, si

---

(1) Lettre au rédact. de la Bibl. brit., vol 15, pag. 270.

(2) Observ. sur la Vacc. — (3) Ouvr. cit., pag. 203.

(4) In nota sur les observ. de la Vacc., du D.r Woodville, Bibl. brit., vol. 9, pag. 357.

earum contagio exponatur, unicuique sanè notum est. Quânam igitur hujus morbi decursûs epochâ effectum suum præservativum totaliter vaccina in corpore humano edidit? Dom. Husson (1) effectum ejus præservativum eo tempore tantum inchoare, quo impressiones constitutionales specificæ apparêre incipiunt, atque tunc, dum materies vaccinalis virtute præservativâ orbatur et periodus desiccationis adest, vaccinatum contra variolas munitum esse sentit. Comm. Centr. Vacc. Paris. (2) tempore epidemiæ variolarum idem observavit, quod ulterius, inoculatione puris variolosi, in quâquâ epochâ decursûs vaccinæ factâ, Comm. Med. Vacc. Rimensis (3) atque Ambianensis (4) probavit. D.r Fournier (5), filius, septem individuos variolis in vaccinæ decursu correptos vidisse, seseque notasse morbum tamen eo esse benigniorem, quo magis ab inoculationis die recederet variolarum infectio, asserit, ita ut addat : « que les individus sur lesquels » elle s'était déclarée le dixième jour de la vaccine, n'en avaient point paru » incommodés ». D.r Husson, Torbés, Stromeyer atque Balthorn ejusdem sunt opinionis.

An virus vaccinium absorptum, cum sanguine mixtum atque per circulationem omnibus corporis partibus distributum, per impressionem specificam, quam in iis producit, per mutationem et modificationem particularem, quam in statu primitivo solidorum fluidorumque creat, cujus natura intima nos fugit, uti D. Chaussier explicare conatus est, nos quidpiam de modo agendi vaccinæ edocet? Quidquid sit, licet, quomodo nos a variolis præservet vaccina, ignoremus, hanc virtute illa singulari gaudêre factis innumeris edocti sumus : nobis ergo

---

(1) Dict. des Sc. Med., art. vacc. — (2) Rapp. cit., pag. 248 et suiv.
(3) Même Rapp. pag. 261. — (4) Procès-verb. de niv. an IX et pluv. an XI.
(5) Procès-verb. du 19 frimaire an XI.

sufficiat cum D. Husson (1) dixisse : « En vain on s'épuiserait en longues » discussions, sur la manière dont la vaccine peut détruire en nous l'aptitude » à contracter la petite-vérole, l'expérience a parlé plus éloquemment que le » docte étalage de la science. »

Quamvis per inoculationem vaccinæ, si materies recens et de brachio individui vaccinam gerentis sumatur, constanter ferè veram atque genuinam pustulam vaccinalem producat, nonnumquam tamen fit, ut fortuito vel causis manifestis vaccinatio spuria, a variolis non præservans, oboriatur, quæ sequentibus causis ut plurimum attribuendum est. 1.° Materiæ virtute specificâ spoliatæ, vel ex vaccinâ spuriâ sumptæ. 2.° Irritationi majori operatione productæ vel pustulæ vaccinali ante maturationem illatæ. 3.° Tandem constitutioni subjecti ex ætate vel provexiori vel quâdam ideosyncrasiâ infectioni huic solitò magis resistenti. Maximi sanè momenti est spuriam vaccinam posse a verâ distinguere : ne itaque hujus cognitionis defectu salutem quorumdam nobis comissorum exponamus, neque vaccinæ honori desimus, regulas quasdam desuper afferre utile erit.

Vaccinationem nullius effectus fuisse judicare licet, si inflammationis præcocis symptomata adveniunt, pustula ab initio in conum excrescit, cujus apex flavus crustâ obducitur; textura ejus est fragilis, pressionis minimæ impatiens, processus animalis ad spatium quarumdam linearum restringitur, partes subjacentes ad pustulæ formationem non collaborare videntur; halo vel nullus, vel si adsit, magnoperè ab illo veræ vaccinæ differt, potius tumor erysipelatosus ulcera circumdans vocari meretur ; si pustula aperiatur quæ solâ epidermide

(1) Dict. des Sc. Med., art. Vacc.

efformata videtur, illicò verum pus effluit. Decursus ejus est irregularis, nunc tertio, nunc quinto apparitionis suæ die rumpitur, sæpius primo, secundo, tertio quandoque tardius inflammatio localis, suppuratio, furunculus saniosus irrigularis, diversis angulis notatus, observatur, in ulcus nisi benè medetur plus minusve incommodum àbiturus : interdum tamen labor hic localis levis atque parvi momenti est, tuncque symptomata omnia quinto vel sexto die disparuerunt. Crusta quæ vaccinam spuriam subsequitur parum est elevata, inæqualis, coloris flavi, mollis, et eminentiis plurimis notata, fragilis et ut plurimum materiâ serosâ, ichorosâ humectata, nonnumquam tamen umbilicata. Phænomena constitutionalia non manifestantur vel si quædam apparent hæc irregularia exorbitantia et æquivoca sunt.

Altera causa vaccinam spuriam characteribus nonnullis a præcedente varietate distinctam, interdum producens in individuis, qui variolas jam passi sunt, reperitur. Cujus decursum particularem, aliaque illi propria, ne in vanum operatio sæpius reiteretur, tradere consultum invenimus. Subjectum variolas jam passum esse cognoscimus, si, viro vaccinio inoculato, primo, secundo vix tertio die punctura inflammetur, et si mox vesicula irregularis quandoque acuminata, sæpius vero rotunda uti in verâ, subsequatur; margines ejus applanati, inæquales, neque materie, quæ semper parca adest copia, colore flavo limpido, quem quoque vesiculæ tradit, insigni, distenduntur; halo nonnumquam desideratur, qui quandoque tamen illi veræ vaccinæ quoad colorem non cedit, minus sæpè extenditur, citius apparet atque per idem tempus ac in verâ perstat; durante decursûs hujus vaccinæ epochâ, æger de pruritu intollerabili conqueritur, axillæ dolent, quarum glandulæ non raro intumescunt, quibus frequenter dolor capitis atque accessus febrilis irregularis junguntur : crusta 7 vel 8.° die totaliter formata, non citius tamen quam illa genuinæ vaccinæ, delabitur, cum-

dem quandoque aspectum offert, eâ tamen cum differentiâ ut minus larga atque crassa sit, cicatriculam nullam solomodùm verò maculam in cute relinquens. Periodus inflammatoria citò, citiusque illa desiccationis decurrit. Attamen longè absit ut affirmem particularia varietatis hujus vaccinæ spuriæ, quæ descripsi, quæque cum observationibus variorum auctorum et cum illis in relationibus Comm. Med. Centr. Par. allatis (1) conveniunt, constanter ita observari; non rarò enim accedit ut vaccinatio in individuis variolas passis, nullum producat effectum : « Mais je l'ai toujours observée, inquit D. Husson (2), lorsque le » vaccin a eu une action sur les personnes qui se sont soumises à la vaccina- » tion, quoique certaines d'avoir eu la petite-vérole et sur celles qui ont voulu » se servir de cette pierre de touche pour dissiper tous les doutes qu'elles avaient » sur cette maladie ». Alii tamen auctores inter quos expert. prof. Kluyskens (3) veram vaccinam quandoque in his vidisse notant.

DE PHÆNOMENIS QUIBUSDAM VACCINÆ ACCIDENTALIBUS.

Vaccinam phænomena quædam accidentalia in *topica* et *generalia* divisa interdum concomitantur. Ad *topica* potissimum spectant ulcera rodentia, inflammationes erysipelatosæ, quæ ulceribus profundis aliquando ansam dant, quæque uti Jenner in Anglia et Sacco in Lumbardia observaverunt, præcipuè locum habent si materies immediatè a vaccis sumitur, ita, ut in ratione quâ per organismum humanum sæpiùs transierit, sinistri hi effectus rariores fiant : quandoque tamen halo

---

(1) Rapp. cit. pag. 299 et suiv.
(2) Dict. des Sc. Méd. art. Vaccin.
(3) Aangehaalde verh. in notâ pag. 48.

aspectum erysipelatis phlegmonosi offert, tuncque febrim atque dolorem glandularum axillarium observare rarum non est, eadem hæc cutis localis inflammatio pustulis minimis sine suppuratione cum illâ disparentibus interdum obsidetur, quæ per unum duosve dies, symptomata gravia nunquam offerentes, perstant; inflammatio hæc in aliis casibus totum branchium amplectitur atque ad collum, pectus, dorsum, imo ad faciem usque propagatur; intumescunt quandoque glandulæ axillares atque cervicales, quæ intumescentia nonnumquam per tempus plus minusve longum perstat, cui suppurationem subsequentem vidit D. Pagès : quæ omnia potius, uti Jenner (1) et Odier (2) observarunt, a modo operandi, a qualitate ipsius materiæ inserendœ, vel ab irritatione scalpendo, aut materiæ extrahendæ causâ, pustulæ illatâ, quam ab effectu veræ vaccinæ proveniunt.

Antequam tamen in *accidentia generalia*, quæ tempore vaccinæ periodorum decursûs hisve absolutis observata fuêrunt, inquireremus, quibus agentibus illa, quæ, sive, tempore vaccinæ sive post plenariam ejus evolutionem obveniunt, excitari possent, posse determinare de essentia procul dubio esset; tunc solomodò, dum relationes, quas diversæ hæ affectiones inter sese habent modo certo stabilire possemus, quod, de epiphænomenis quæ in certis circumstantiis a novo methodo inoculandi particulariter dependère videntur, judicium ferre licitum esset.

Quamvis rariùs, eruptiones tamen quædam admodum benignæ tempore decursûs vaccinæ observatæ fuerunt, quas auctores benè in hâc parte meriti actioni quam morbus in totum organismum exercet, attribuere non dubitarunt, quas in tres species præcipuè diviserunt.

---

(1) Inquiry in to the causes and effects of the variolæ vaccinæ, Lond. 1798.

(2) In notâ sur les nouv. observ. sur la Vacc., par Jenner, Bibl. brit., vol. 14, pag 278.

Prima species, quæ inter 13 atque 18 diem rarissimè citiùs apparet, parvis pustulis discretis in trunco, facie, præsertim quidem in brachiis obviis, primis 24 horis eruptioni rencenti variolarum similibus, notatur : eruptio hæc inquietudine, diarrhæâ vel vomituritionibus quibusdam prægressis, parvis pustulis acuminatis, parumper elevatis, rubris, ejusdem coloris circulo cinctis manifestatur. Post nycthemerum symptomata activitatis evanuerunt; pustulæ tamen rubro-palidæ, parumper prominentes, pulicum vel muscarum morsibus similes, cujus apex sæpè pellucidus humorem aquosum, in parvam crustam abiturum, continet, superstites manent, quæ omnia post tempus plus minus longum sine incommodis ullis evanescunt.

Altera species eruptionum, maculas rubras, illis inoculationi variolarum obvenientibus similia, offert. Eruptio hæc ordinariè tantum post halonis disparitionem evolvitur, nec diu perstat, atque pruritu partium, quæ brevè rubescunt manifestatur, posteà in maculas, illis febris urticariæ, ampullulis exceptis, similes abit, fugitivæ sunt, symptomata vix notabilia offerentes.

Tertia tandem species ab observatoribus non nullis descripta, quam D. Aubert primus observasse videtur, pustulis veris vaccinalibus notatur, quæ ab illis tamen, quas ægri sibi inoculant distinguendæ sunt; semper in parcâ copiâ adsunt et symptomata ordinaria parumper tantum aggravant.

Quid denique de innumeris morbis acutis atque chronicis, quos antivaccinistæ vaccinæ sinistris effectibus attribuerunt, imò quid de morte ipsâ diceremus? hæc absurdissima certè hodie nullam refutationem requirunt; jure igitur dixit D. Odier (1). « La vaccine n'a été suivie ni de furuncle, ni d'ophthalmie, » ni de maux d'oreilles, comme on en voit souvent à la suite de la petite-

---

(1) Mémoire sur l'Inoc. de la Vacc., à Genève, Bibl. brit. vol. 12, pag. 183.

» vérole tant naturelle qu'inoculée, elle ne porte dans le sang aucune » dépravation, ni aucun vice étranger à sa nature, aussi on n'a pas remarqué » qu'elle fût une cause prédisposante pour aucune maladie, écrit le comité » médical de Riems. Je n'ai jamais observé dans le très-grand nombre de vacci- » nations que j'ai pratiquées, un seul accident qui ait pu raisonnablement en » être considéré comme une conséquence même éloignée. »

Econtrà perspicax Jenner, quem sanè nihil quod bona suæ inventionis extendere possit, effugit, in primo jam suo opere dixit, quod facilitas corporis humani ad vaccinam suscipiendam, solamini vel sanationi plurimorum morborum, præsertim chronicorum, inservire posset; quam assertionem observationes plurimarum Commissionum Méd. Vac. variorumque auctorum firmare videntur. Licet hoc longiùs inquirere nostrum non ducimus, notari hìc tamen volimus, quod actio febrilis, quæ nonnumquam uti vidimus in decursu vaccinæ observatur, a plurimis auctoribus semper, tanquam effectum salutarem in æconomiâ animali posse producere, aspecta fuirit; imo ab Hippocratis tempore ad hodiernum usque diem, ab excitatione illâ particulari, in certis circumstantiis, bona expectarunt medici, quapropter celeb. Boerhaavius (1) dixit : « febris » sanationis sæpè optima causa. »

Plongé dans les eaux du Styx, Achille y devint invulnérable.

Infans variolas nondum passus, modo non minus felici atque miraculoso symptomatibus veræ vaccinæ mutatus, ab hocce tempore funestissimi morbi contagio exponi, inimicumque crudelissimum cunabulas suas obsidentem laces-

---

(1) Aph. 558.

sere impunè queat ; pestis illa horrenda, quæ septimam quot annis, imo sextam, tempore vero epidemiæ, tertiam partem (1) infantum illo morbo decumbentium victimabat, organismum humanum divino vaccinæ præsidio munitum aggredi non amplius valens, brevè e mundo evanescet.

Licet assertio hæc fundamentis firmissimis nixa sit, hodiè tamen circa blandam illam spem diffidentia quædam nata videtur : jamjam enim ab hinc aliquibus annis, individuorum, qui variolas post vaccinationem passi sunt, numerum sensim sensimque increvisse agnoscere coacti sumus. D. G. Gregory (2) nosocomii vaccinæ atque variolis detentorum, quod S. Pancras habetur, medicus, exemplis his perculsus attentionem omnem circa illud punctum versit; constat igitur ex suis observationibus ab anno 1810 incipientibus ad annum 1822 numerum variolarum post vaccinam oborientium, in Anglia ingenter esse auctum, ita, ut ex computo ab ipso inito pateat, numerum hunc anno 1810 fuisse in proportione =1 : 30. 1815=1 : 17. 1819=1 : 6. 1821≡1 : 4. 1822=1 : 3/2. His strages, quas præcipuè anno præcedenti Amstelodami, Roterodami, Parisiis atque in aliis locis edi a diro hoc morbo videmus, jungamus, et arte peritis admirationi inservire, civibusque terrorem incutere debebit.

Temerarium sanè foret tyroni, rei tanti momenti causam certam attribuere, atque inter opiniones circa illam jamjam obortas sese judicem velle ponere, absurdum; tamen verbum de objectionibus illis : 1.° nempè, *quod virtus prophylactrix vaccinæ sit limitata; 2.° quod materies vaccinalis de virtute suâ specificâ in ratione, quâ per organismum humanum transit, perdat* dîcere; 3.° denique *de variolis post vaccinationem obortis* parumper disserere, liceat.

---

(1) Rapp. du Com. Centr. de Vacc. à Paris, pag. 418.

(2) Annales de la Litt. Med. Brit., par J. Dubar, tom. 1, janvier 1824, pag. 29.

1.ª Objectio; utrum prophylaxis hæc variolarum, tantum pro certo numero annorum duret, primo vaccinæ inventionis tempore, eâ certè facilitate, quâ hodiè, refelli non poterat. Quamvis re benè perspectâ, objectio hæc omnibus artis regulis opposita sit, suspicio tamen quædam Medicis nonnullis incidit, quam ut tolleret D. Legallois, a patre duos annos natus, vaccinatus, cujusque brachium utrumque duas cicatriculas gerebat, quæ D. Husson et Bally esse veræ vaccinæ dixerunt, 27 sept. anni 1825 sibi pus variolosum, 9.º die morbi sumptum, per duas puncturas in utroque crure inoculavit, quæ inoculatio symptomata localia atque levissima tantum produxit: quam experientiam 10 octobris ejusdem anni sinè majore effectu in utroque brachio reiteravit (1). Similes experientias varii alii, tum revaccinatione, tum puris variolosi inoculatione, eodem semper cum effectu reiterarunt. Alii attentionis dignum esse notant, quod maxima pars individuorum variolis post vaccinam laborantium jam ad annum 15 et ultrà pervenerit, quamvis quidam antea, uti animadversit Gregory (2), contagio varioloso expositi fuerint. Nonne quia hodiè variolæ et epidemicè et sporadicè rarissimè regnant? In nosocomio enim civili Gandensi ex octo individuis (non vaccinatis) variolis laborantibus, sex jam hanc vitæ epocham transiisse, hocce anno vidimus: porro unicuique notum est nihil magis variare quam dispositionem ad morbum quemdam contagiosum contrahendum, quod quoque observavit Comm. Med. Centr. Vacc. Par. (3). « L'expérience, inquit, ayant d'ailleurs » appris que, dans une épidémie varioleuse, des individus restent intacts, tan» dis que dans une autre circonstance, ils en sont affectés ». Insuper celeber.

---

(1) Archives gén. de Med., Journ. publié par une société méd., tom. IX, nov. 1825, pag. 441 et 442.

(2) Ann. cit. pag. 40. — (3) Rapp. cité, pag. 349.

Van Swieten (1) se multos homines vidisse, qui sæpius contagio varioloso expositi fuerant, absque eo ut illo afficerentur, memorat : « memini, inquit, » me curavisse hoc morbo decumbentem vetulam jam plus quam sexagenariam, » quæ ridebat me, dum variolas brevè erupturas præsagiebem : probe enim » conscia erat, se cum fratribus atque sororibus hoc morbo laborantibus, » comedisse, bibisse; imo in eodem conclavi dormivisse, per plures septima- » nas..... sana tamen perstiterat, et postea frequenter variolis laborantibus » præstiterat opem, firmiter sibi persuasum habens, quod ab hoc morbo nihil » metuendum foret ». Nonne phænomenon illud quotidiè de cæteris morbis contagiosis videmus ? Quidquid sit, hominem veram vaccinam perpessum pro totâ vitâ a variolis præservari affirmamus; ait enim D.r Moreau (2) « Si on » croirait que la vaccine n'est bonne que pour deux ou trois ans, je répondrais » avec le citoyen Collodan : ce bon docteur Jenner, notre dieu tutélaire, a inoculé » la petite-vérole à des gens qui ne l'avaient jamais eue, qui avaient eu la » vaccine il y a plus que trente ans, personne ne l'a prise, et j'espère que » vous m'accorderez, que si le préservatif que je vous propose est bon pour » trente ans, il y a bien quelque probabilité qu'il l'est pour toute la vie. »

2.a *Objectio.* Jam a primis vaccinæ inventionis annis, suspicio de virtutis specificæ viri vaccinii amissione, in ratione quâ per corpus humanum transeat, mota est, quæ diû sopita hodiè denuò renascitur. Ad hypothesim hanc demonstrandam, certè nec proprietates physicæ nec chemicæ hujus fluidi lucem quamdam affere possunt; experientia igitur in hâc re sola consulenda est. Si ad symptomata localia veræ vaccinæ animadvertimus, videbimus, paucis suprà notatis

(1) Coment. in Boerh. aph. tom. 5, pag. 7.
(2) Ouvr. cit. pag. 223.

exceptis, illa similia esse illis primis vaccinæ inventionis annis, observatis atque descriptis : dixit verò Comm. Med. Centr. Vacc. Par. (1) « En ce moment où » nous l'employons après un nombre incalculable de transmissions, il nous offre » obsolument les mêmes effets, que ceux qui avaient lieu dans les premiers » sujets vaccinés; le témoignage de tous les gens de l'art, qui se sont occupés » de cette méthode est uniforme sur ce point...... Et s'il en est qui présen- » tent quelque différence, il semblerait annoncer que c'est plutôt le vaccin » repris sur la vache et inoculé ensuite à l'homme qui aurait moins d'action ». Ulteriùs si causa variolarum post vaccinationem solitò sæpiùs obvenientium materiæ a primitivâ suâ virtute degeneratæ attribuenda esset, nonne subjecta omnia ex eodem fonte vaccinata, eumdem effectum exinde sortiri necessariè deberent? Experientia tamen quotidiana prorsùs contrarium probat : nec absonum esset hìc dicere, ut fit de cæteris medicaminibus a Divino Creatore homini in solamen et sanationem innumerorum malorum, quæ eum perpetuò affligunt elargitis, ita et de vaccinâ fieri, in æternum nempè virtutem a stabili naturâ iis datam, conservare.

DE CAUSIS, QUÆ VARIOLIS POST VACCINATIONEM OBORIENTIBUS ANSAM DARE POSSUNT.

1.° Si ad originem vaccinæ ascendamus, in primis speciei humanæ utilissimæ inventionis auctor, doctissimus Jennerus nobis offertur, qui de singulari effectu

(1) Rapp. cit. pag. 394.

hujus materiæ edoctus, divinum suum inventum factis authenticis innumerisque experientiis nixum per totum mundum promulgavit.

Nullus sanè de Medicinâ benè meritus, vix *vaccinæ* audito nomine atque de singulari ejus virtute certior factus, qûin cæteris curis studiisque relictis, partim curiositate admirabilis hujus inventionis honorisque studio, partim, verò maximè, boni Patriæ conciviumque salutis sollicitudine, omnibus nervis die noctuque propagationi inventionis Jennereanæ allaboraret. Doctissimi ut plurimùm illi viri laudabili hoc zelo animati, exhortationibus laudibusque Gubernii incitati, cum sedulitate atque summâ cum cognitione virus illud prophylacticum inoculabant scrupulosèque decursum periodorum, causas anomaliarum non numquàm obvenientium inquirentes, subsequebantur.

Quanta differentia inter vaccinatores, quanta inter hujus prophylaxis propagationis curam hodiè observatur! Et *matres* et *vetulæ* quædam, omni planè cognitione requisitâ destitutæ, vaccinant : imò si ad regiones vicinas attentionem vertamus, in quibus, primis hujus viri cognitionis annis tantum ejus propagationi et Gubernatores totâ auctoritate totâque scientiâ Medici allaborabant : nunc stragibus variolarum ope vaccinæ cessatis, indifférentes quasi, vulgus de futuris parùm sollicitum sibi relinquunt; hìc inter alia sint exemplo Italia, Hispania, ipsaque Gallia, teste epidemiâ, quæ anno 1825 in hâc grassabat, quæque ut notat D. Devilliers intra spatium quinque mensium in 12.ma Præfecturæ circumscripta regione (12 arrondissement) 230 individuos e medio tulit, quæ strages uti observat quoque D. Collino in 6.ta non minor fuit (1).

Ne a proposito longius egrediamur ad causam vertamus, cui D. Gregory, variolas in subjectis vaccinatis obvias attribuit : hic medicus intra spatium

---

(1) Arch. gen. cit. même tome, pag. 443 et 444.

10 annorum 161 individuos in suo nosocomio post vaccinationem variolis decumbentes, tractavit, quorum, uti notat, 99 rure, 12 Lundini, 50 vero locum ignorantes, probabiliter, ait, rure vaccinati erant (1), cicatriculæ vaccinales horum omnium magnæ atque irregulares erant, quod ipse viro malæ notæ, quod rure sæpè adhibent, tribuit: « J'ai long-temps eu dans l'idée, inquit, que les » praticiens des campagnes vaccinent avec du vaccin qui n'est pas parfait » dans ses qualités (2). »

Attamen, nos his feliciores hùcdum nihil ferè simile in nostrâ patriâ vidimus. Laus Augustissimo nostro Regi, qui bonum sui populi semper cordi habens, momentosum hoc pro societate punctum non neglexit! Laus hujus provinciæ nobilisimo Gubernatori, qui exsecutioni cautionum variolas expellendi causâ adhibitarum sedulò semper invigilavit! Laus denique commissioni medicali vaccinæ Gandavensi, quæ in hâc parte de patriâ tanta meruit; quæ ab origine vaccinæ inventionis non solum concivibus divinum illud contra dirissimum infantum morbum præsidium grato animo distribuit Germaniamque atque Hollandiam (3) optimo hocce dono munerata est, verum medicorum animum atque diligentiam ad prophylaxim hanc debitis cautelis distribuemdam exhortationibus præmiisque sustinere, scivit! Itaque anno elapso de exemplis quibusdam variolarum post vaccinationem monita, vaccinatores iterum monuit (4) ut attentionem quam maximam ad materiem inserendam adhiberent, ut, anne morbus periodos cum symptomatibus sibi propriis regulariter percurrat, scrupulosè inquirerent : quapropter, ut ægros diversis vaccinæ decursûs tempo-

(1) Annales cit., 3.e tableau, pag. 47. — (2) Mêmes ann., pag. 42.
(3) Rapp. du Comm. Centr. de Paris, pag. 342.
(4) Berigt van het Comm. van Vacc. te Gend, aangehaald pag. 3.

8

ribus ad crustæ vaccinalis lapsum visitent, maximè necessarium duxit : tandem cicatriculam semper superstitem exactè examinent, quia hanc gradûs vaccinæ efficacitatis veram esse mensuram omnia membra cum D. Gregory conveniunt. Expert. hic enim medicus, proportionem intimam inter gradum perfectionis circatriculæ vaccinalis atque intensitatem variolarum secundariarum semper haberi, animadversit : « Lorsque la cicatrice du bras, inquit, est parfaite, c'est-à-dire, » distincte, ronde, radiée et celluleuse, et surtout lorsqu'elle est petite au » point de pouvoir être recouverte par un pois, l'affection secondaire, de quel- » que cause qu'elle provienne, sera légère et ne méritera même pas le nom de maladie. »

« Lorsque, au contraire, la cicatrice est grande, offre des vestiges d'une » grande inflammation, et manque de caractères que nous venons de spécifier » plus haut, le danger de la variole sera plus grand, et toutes choses égales, » il y aura à craindre qu'elle ne soit intense (1) ». Revaccinatio in talibus casibus assertionem hanc undique confirmat.

2.° Si longiùs rem inquiramus jure de exemplis variolarum subjectis vaccinatis obortarum dubitare licitum esse credimus, hic variolis spuriis aut varicellis intendere volumus, quæ fortè sæpiùs in his casibus pro veris aspiciuntur : idem sentit Comm. Med. Vacc. Gand : dum dicit (2). « Het is echter te beklagen dat die zoo dikwils als ware kinderpokjes worden beschouwd ». Hæ tam sæpe post vaccinam quam post variolas occurentes, non semper æquè facilè ab omnibus distinguuntur, ait enim illustr. Van Swieten (3). « Notum est omnibus medicis practicis occurrere aliquoties tales morbos, qui

---

(1) Ann. cit., pag. 41. — (2) Aangehaald berigt, pag. 3.
(3) Op. cit., idem tom., pag. 10

» primo fronte genuinis variolis non dissimiles, a minùs peritis tali nomine » vocantur, a medicis autem variolæ spuriæ solent vocari. »

Porrò si consideremus syptomata varicellarum non adeo quandoque ab illis variolarum verarum differre, imo nonnumquam contagiosas videri, atque uti in Galliâ anno 1800 epidemicè grassari, has sæpiùs pro veris variolis aspici nemini mirum vedebitur; Comm. Centr. Vacc. Par. (1) memorat, quod, quum quidam varicellas has veras esse variolas venditarent, et vaccinatos promiscuè aggrediebantur, vaccinæ brevè omnem fidem demsissent, ne eadem commissio hujus puris inoculatione symptomatumque varietate naturam hujus morbi demonstrasset. Eruditissimus Odier (2) exempla varia pustularum individuis variolas passis et vaccinatis obvenientium citat varicellis similium, « ou plutôt, inquit, « à cette variété de la petite-vérole volante dans laquelle les boutons ne » durent à la vérité que trois jours, mais se succèdent les uns aux autres, de » manière à prolonger ainsi le cours de la maladie ». Quod naturæ epidemiæ regnantis attribuebat, quæ, uti ipse observat, variolas veras ac spurias simul producebat.

3.° Attamen licet exempla quædam fide digna variolarum verarum post vaccinam genuinam obortarum existerent, non impediret quominus in a variolis præservando, eâdem ac ipsæ variolæ virtute vaccina gaudeat; exempla autem quædam hominum habentur singularis constitutionis ad hunc morbum sæpiùs contrahendum proclivium : itaque D. Le Roux (3) narrat, quamvis se variolium in juniori ætate laborasse certissimus esset, per longum tamen tempus ægros illo morbo detentos visitare nequibat, quin in manibus pustulæ quædam variolosæ oborirentur;

---

(1) Rapp, cit, pag. 209. — (2) Mémoire sur l'Inoc. de la Vacc. pag. 22.
(3) Arch. med. cit., pag. 442.

expert. prof. Van Rotterdam (1) se virum sexagenarium, stigmata ante passis variolis ferentem, hocce morbo verè decumbentem in nosocomio civili Gandensi tractasse narravit. Nonne historia gallica Ludovicum XV Gallorum regem 65.° ætatis suæ anno secundâ vice variolis laborantem mortuum esse refert? Hominem bis variolis posse affici confirmat Comm. Med. Vacc. Gand. (2) ait enim : Want daar bestaan voorbeélden, dat de zelfde mensch twee malen » met deze kinderziekte is aangedaan geweest ». Medici igitur plures, qui in variolis curandis versati, adeoque hujus morbi optimè gnari, affirmant, sè bis variolas veras in eodem homine, vel et sæpiùs vidisse. Sic, ut alios transeamus, Forestus (3) de proprio filio narrat, quod, quadriennis cum esset, et bis variolas jam habuisset, deinde in morbillos inciderit : insuper celeb. Diemerbroeckii fide dignissimi observatum jungamus, qui epidemicam constitutionem anni 1640 describens, sic habet (4) : « Varios hoc tempore videmus, qui, cum variolas » copiosissimas habuissent, vix ab his sanati, paulùm post in idem malum » reciderunt atque illis istâ secundâ vice, sæpè multo majore copiâ eruperunt, » quam primâ : imò aliqui visi sunt, qui intra spatium sex mensium ter » copiosissimis variolis laboraverunt, quod olioque rarò solet contingere im- » primis tam parvo temporis spatio. »

---

(1) In præl. Clin. — (2) Aangehaald berigt, pag. 3.
(3) Lib. VI observ. 43, tom. 1, pag. 244. — (4) Opera omnia, pag. 296.

TANTUM.

THESES.

I.

Dysenteria in certis circumstantiis est contagiosa.

II.

Peritoneum inflammatione non corripitur, quin partes subjacentes patiantur.

III.

Digitalis purpurea in plurimis morbis hydropicis præcipuè in hydrothorace præstantissimum est remedium.

IV.

Paracentesis in hydrope ascitide potest esse remedium curativum.

V.

Febres sic dictæ essentiales existunt.

VI.

Somnus post pastum digestioni favet.

VII.

Vermium generatio in intestinis non est spontanea.

VIII.

Maximè interest Medici practici, ut ritè distinguat, in quibus affectionibus inflammatoriis, sanguinis depletio generalis sit locali, et vice versâ præhabenda.

IX.

Venæsectio aliaque remedia antiphlogistica systema ad hydrargyrum in cura syphilitidis absorbendum disponunt.

X.

In febribus intermittentibus rebellibus aliud quoddam medicamentum cortici peruviano jungatur sæpe necessarium est.

XI.

Nihil magis incertum quam diureticorum effectus.

Vidi ei nihil reperi, quod pargrapho 57
legis academicœ adversetur.

F. E. VERBEECK,

F. m. h. t. Decanus.